

[117r] Eadem die post prandium accessit ad visitandam ecclesiam plebis Sancti Andreae sub titulo Sancti Nicolai de Baris, ad quam pervenit hora 21, ibique reverenter fuit receptus a reverendo Ioanne Filippi plebano et a populo; omnibus de more persolutis, visitavit sanctissimum Sacramentum, quod bene asservatur, eoque populum benedixit. Etiam baptisterium et sacra olea sufficienter munda.

Altaria sunt sex, sed solum in quatuor celebratur. Altare maius, sanctissimi Sacramenti; 2.a cornu evangelii, beatae Mariae Virginis de Monte Carmelo; 3. ab alia parte, sanctissimi Rosarii; 4. sancti Andreae; et dicta altaria manutenentur a populo. Ecclesiae praedictae deest solummodo pavimentum, quo completo optima est, et laudando pietatem eiusdem populi hortatus eum est ut quamprimum perficiat.

In dicta ecclesia varia sunt legata pia. Quondam Antonius Martius loci Speluncati reliquit censem librarum centum ad rationem librarum decem fructus, relictum [117v] a quondam Loria. Ioannes Petrus quondam Ioannis Feliceti retinet pariter censem librarum decem, relictum a quondam Victoria. Ioannes Maria a quondam Georgii loci Nessae retinet censem ad rationem librarum decem, relictum a Simeone quondam Nicolai. Nicolaus quondam Francisci loci Nessae retinet censem librarum centum ad eamdem usuram librarum decem, relictum ab Isidoria quondam Andreae. Franciscus Antonius Dominicus loci Feliceti retinet pariter censem librarum centum, relictum a quondam Nicolao Nuntio. Antonius quondam Thomae Nessae retinet censem librarum centum, relictum a quondam Catarina quondam Fausti. Ioannes Stephanus Avapessae retinet censem librarum centum, relictum a quondam Ursula quondam Dominici. Vincentius Vincenti retinet censem librarum 133,8, relictum a quondam Xantino Andreae loci Feliceti, et pro eis solvit libras 13 et b(aiocos) 8 in quolibet anno (etc.). Haeredes quondam Dominici quondam Angeli Aloysii Feliceti retinent censem librarum 66,4, relictum a quondam Xantino. Georgius Maria quondam Antonii Petri retinet [118r] censem librarum 100, relictum a Maria quondam Muslioli.

Praedicti omnes solvunt annuatim parocho praedicto libras centum pro quolibet centenario et parochus tenetur celebrare tot missas ad rationem taxae manualis (etc.).

Praeterea dictus parochus tenetur celebrare octo missas in quolibet anno pro Maria quondam Michaelis Angeli, qui reliquit duas cameras domibus parochialibus unitas.

Annui redditus plebani sunt librae 655, absque eleemosina dictarum missarum et incertis; eiusdem expensae sunt librae 150.

Familiae 103. Sacerdotes 8. Animae 510. Altare privilegiatum altare maius. Reliqua vide in decretis et inventario.

Visis omnibus videndis, illustrissimus dominus benedixit coronas et deinde ad suam residentiam rediit.

Extat etiam casazza sancto Antonio dicata, in qua erecta est societas. In dicto loco est etiam oratorium Sancti Rocchi (etc.).